

I. N. J. C.
DISSERTATIO ACADEMICA

De

VIRTUTE MORALI POLITICO NECESSARIA,

Q U A M

Conf. Ampl. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,
P R A E S I D E

M A G. JOHANNE
BILMARK,

Histor. & Phil. Pract. PROFESSORE ORD.
Publice Defendet

JOHANNES POSSÉN,

Ostrobothniensis,

IN AUDITORIO MAJORI Die XVI Junii
Anni MDCCCLXXV.

H. A. M. C.

A B O Æ

Typis JOHAN. CHRISTOPH. FRENCKELL.

Koreæ.



§ I.

Inde ab antiquissimis retro temporibus docti cum indoctis diversam Politici ideam sibi formarunt; plerisque in eo consentientibus, isthae adpellatione denotari hominem astutum, callidum, temporibus & circumstantiarum momentis dextre inservientem. Nec recentiori ævo defuerunt eruditi, qui eandem inflarunt tibiam, virtutem Politico & præcipue iis, qui gubernaculo imperii adsident, in praxi saltē minus necessariam existimantes. Quod ne præter rationem adseruisse videar, occasionem præsentis scripti paucis enarrabo. Varia Politicorum Scripta hoc tempore evolvens, incidi nuperime in librum, qui inscribitur *Histoire Politique du Siècle*, edit Lipsiae 1758, in quo præclara multa occurunt, quæ ad pragmaticam regnorum & juris publici Europæ cognitionem inde a pace Westphalica pertinent, qualia in aliorum scriptis frustra sæpe queruntur. Enimvero sicut in corpore Solari etiam densæ nonnunquam conspiciuntur maculæ; ita quoque judicia nonnulla, æquitati & humanitati minus convenientia in libro hoc, quantumvis in cæteris egregio, animadvertisimus. Inter alia enim circa initium Cap. XIV. p 422. & 423. probare co-natur,

natur, virtutem moralem Politico non solum minus esse necessariam, sed saepe etiam noxiā. Scilicet considerat status ministerium, ut duplēcē in civitate sua personam sustinenteim. Quatenus negotium ipsi est cum suis cibis, nemo ipso debet esse accuratior in virtutibus quibuscumque moralibus quotidie exēcēndis; erit enim justus, probus, æquus, beneficus, ad propriū lucrum minime attentus, fidelis & adeo constans, ut verbis & factis nunquam a se ipso dislēntiat. Contra ea autem, quoties cum exteris gentibus aut earum legatis res ipsi fuerit, priorem virtutē scenam penitus mutabit ex Auctoris modo nominati sententia. Unicam enim tunc obseruat & sequitur cynosuram, felicitatem & utilitatem publicam, quam ut promoveat, de mediis non admodum est sollicitus, sed quicquid ad imperium confirmandum pertinet, id sibi quam maxime licitum esse arbitratur. Videamus autem, quomodo status ministerium respectu exterorum depingat vel potius obumbret hicce Auctor. L' Homme d' Etat est élevé par la Société elle même au dessus de tous ses membres; & en le plaçant, pour ainsi dire, hors de son enceinte, pour qu'il veille contre les ennemis du dehors, elle l'a dispensé des règles établies pour les operations du dedans. La droiture & la candeur, vertus si précieuses pour l'homme de la Nation, ne sont plus ses premières obligations. Des maximes adoptées par une convention unanime entre ses pareilles, font ses loix. Elle marque le but, elle fixent les bornes de la mauvaise foi, qui souvent lui deviennent nécessaire; elles la rendent licite, & même elles en font une vertu, & quæ sequuntur.

§. II.

Concedunt equidem hi Pseudo-Politici, qui virtutem minus necessariam esse Politico judicant, se hoc ad-

ferendo nihil præstantiæ virtutis derogatum velle, sed ipsam in se optimam esse arque ingentis etiam utilitatis futuram, si modo cum hominibus perfecte bonis viveremus. Sed, quum aliter nunc vivant homines, colligunt, quod si Princeps aut Politicus bonum sese omnibus præberet, maleficiorum & astutorum, quibus cingitur, artibus atque dolis facile circumveniretur & præter opinionem opprimeretur. Unde porro concludunt, quod Politicus virtutem tum demum exercere debeat, quando circumstantiarum rationes hoc ipsum permittant. Sed hi fere sunt, qui minus exactam virtutis notionem habentes, ipsam regula quavis Læsbia mutabiliorem faciunt. Si enim per virtutem intelligent animi simplicitatem, indulgentiam & cunctis placendi studium, cordatus Politicus simulacra quædam virtutum, minime autem veram in illis virtutem agnoscit. Sunt enim modo memoratæ affectiones vitia vel saltem animi infirmitates ac morbi, qui cum vera virtute, in qua & vigor & justus nonnunquam rigor elucet, nihil commune habent. Finge enim Familiam, in qua herus vanam indulgentiæ auram tam inter suos quam inter vicinos captat, experientia docet, quod singula negotia in eadem vel negligenter vel præpostere admidum agantur, & nisi disciplina quædam introducatur, brevi tempore cum tota hac familia, quantumvis opulenta ac splendida ab initio ipsa fuerit, actum erit conclamatumque. Quanto magis sinistra ejusmodi facta exspectabit civitas, si ille, qui gubernaculo imperii adsidet, imbelli ingenio & manu publicas res tractet? Sed culpa hæc erit conjicienda non in virtutem, quæ masculam suam prodit indolem, sed in virtutis defectum.

§. III.

Ut vero magis appareat, quam necessaria Politico fit

fit virtus, paucis indolem ejus evolvamus, quo influxus ejus in perennem civitatis felicitatem tanto magis patefacat. Virtutem igitur definimus per complexum actionum, Legibus Divinis tam intrinsece quam extrinsece convenientium. Sunt igitur Leges modo nominatae ad instar cynosuræ cujusdam, ad cujus tenorem de rectitudine actionum nostrarum judicamus, quæ virtutum nomine insigniri merentur. Porro sicut illæ linea dicuntur rectæ quæ a proposita regula nusquam deflectunt, ita virtutes sunt illæ actiones, quæ in nullis circumstantiarum momentis a præscripto Legum declinant. Enimvero quum Leges naturales sint latæ ab Deo optimo, facile intelligitur, quod Legum harum præscripta, quantumvis diversa, ad unum tamen collineant punctum, quod est felicitas generis humani. Ergo per jugem virtutum culturam cives suam tutissime promovent felicitatem, & qui extra harum observantiam commoda quædam se nactos fuisse arbitrantur, næ illi successu temporis experiuntur, se nubem pro Junone fuisse amplexos. Præterea quum status naturalis sit status æqualitatis, eoque nomine non possit non singulis arridere hominibus, ex hoc certe nunquam commigrassent mortales, si se suaque omnia tueri potuissent. Glisceribus autem enormibus vitiis, coacti fuerunt in civitates sese conferre & præsidia querere. Ex sua igitur indole status civilis supplendo defectus, statui naturali inhærentes, & coercendo vitia, ad virtutum culturam, tanquam certissimum felicitatis civilis obtinendæ adminiculum, homines deducit. Unde patet, basin felicium imperiorum esse virtutem; qua de re si quis sobrius dubitaret, supponat, vel per momentum temporis virtutes removeri, experieturque per theatrum hujus mundi scenas quotidie ludi maxime tragicas, & hominum conditionem brutorum sorte longe deteriorem futuram, siquidem pluri-

bus modis homines sibi invicem nocere possint, quam feræ, & revera nocent, dum spes impunitatis adfulget amplissima. Plenius hæc ipsa ostendi possent, si quantum unaquæque virtus ad florem civitatis conducat e-differere licet. Nunc igitur tantummodo observamus, quod Societates notorie impiorum nequaquam consistere possint, nisi particulam quandam virtutum colant tam inter se quam cum aliis, quorum opera forte indigent. Quanto igitur cuilibet civitati ejusque rectori necessaria sit virtus, ex allatis constat.

§. IV.

Enimvero illi ipsi contra quos necessariam Politico esse virtutem ostendimus, concedunt quidem virtutem esse commendabilem respectu civium, sed qui juxta monent, virtutem respectu exterorum caute exercendam esse. Concedimus equidem, quod major obligatio incumbat Politico, cives in suam amicitiam admittendi, quippe quorum felicitati sese totum devovit; inde tamen non consequitur, ipsum exteris nationibus nihil plane debere. Sunt enim hi homines & nonnunquam etjam socii ac confoederati, adeoque illis officia humanitatis, his autem plura alia ex fine Societatis dijudicanda debentur, quorum certe non ultimum est, quod temere non sunt lœdendi; nam inhumanum valde est, cum aliorum dispendio querere felicitatis suæ compendia. Quod si Politicus certis in negotiis fidem suam exteris obstrinxerit, ad hanc servandam ex tenore Legis naturalis ita obligatur, uti si fidem datam ex propæresi fallat, Deum offendat ac conscientiam suam graviter lœdat. Imo in gravissimam proborum censuram incurrit, dum ipso facto ostendit, sibi religionis ac virtutis nullam plane curam esse. Et sicut quilibet aliis nocendi pruritus tanto magis est vituperandus, siquidem ipse ne

ne quidem in ferocibus animalibus sese exserat, nisi quando subinde exagitantur, aut interitum imminentem timent; ita abominabilis est malitia hominum, qui ideo tantum virtutem præ se ferunt in negotiis cum aliis tractandis, ut ipsos incautos tanto facilius perdant.

§. V.

Urgere autem adbuc quispiam potest, quod si erga quoslibet nos sincere geramus, facile fieri possit, ut alii nostro erga se candore in nostram perniciem abutantur; unde colligunt, quod simulatione ac dissimulatione quandoque sit utendum, adeoque virtuti illi, quæ sinceritas dicitur, nuntium omnino mittere debeat Politicus. Quocirca fateri cogimur, quod Politicus stipetur sœpe hominibus, qui nihil aliud tantopere anquirunt, quam ut arcana rerum publicarum explicantur, atque decreta & agenda in suum commodum maximo etiam cum civitatis incommmodo convertant. Quod cum ita sit, probe docent moralistæ, dari omnino innoxiam simulationem & dissimulationem, veræ virtuti non inimicam; non tamen propterea concessero, quod sinceritati nuntius a Politico sit mittendus. Sinceritas enim est virtus, qua nihil illos celamus, quibus potestas competit sensa animi nostri in substratis negotiis cognoscendi. Sinceritas igitur in infinitum sese non extendit, sed intra negotiorum gyrum, qui sapientissime valde angustus est, terminatur. Si igitur in foro & angiportibus quis deblateraret, quæ alto corde premenda forent, hunc ego non sincerum sed garrulum, nec proinde virtutis alumnum, sed maxime imprudentem dixerim, dignorem, qui colo, quam gubernaculo adsideat. Denique sic ut in negotiis, quæ nobis cum exteris intercedunt, alteri non competit jus quicquid in buccam venerit fiscitandi; ita nec ab altera parte ulla est obligatio quærentis

tis curiositati in minimis etjam satisfaciendi: præsertim si animadvertisamus, quod technæ nobis nequantur; quo, in casu arte artem eludamus, dolisque bonis utamur, non ut alios opprimamus, sed ut impediamus, ne ab illis opprimamur.

§. VI.

Fatemur, quod Salus publica sit suprema Politico Lex, ad quam actiones suas componere debet; inde tamen non conficitur, quod publicam utilitatem quo; demum cunque modo, qui ipsi allibuerit, promovere debeat. Lex enim Naturalis nobis injungit, ut non solum honestum finem nobis proponamus, sed etjam ut honestis illuc pervenienti mediis utamur: nec enim facienda sunt mala, ut inde eveniant bona. Potest quidem Politicus per media minus honesta commodum Patriæ suæ nonnunquam procurare, quod primo intuitu plane eximium videtur, sed ex postfacto saltem discunt cives, illam eximiam utilitatem fuisse omnis infelicitatis fœcundam matrem. Animo suo Themistocles volvebat facinus, quo Patriam suam ad summum potentiae apicem, intra temporis momentum eveheret, quod vero, sicut civibus suis significavit, sine consensu & auxilio Socii non posset exequi. Consistebat autem illud in eo, ut classem Lacedæmoniorum, quæ ad littora Attica adpulerat, incenderet; sed justus Aristides hoc merito improbavit, quod factum esset in se iniquum. Et revera hoc perpetrato, universam Græciam in suam perniciem armasset Athenienses. Tantum igitur virtute duce Salutem publicam rite promovet Politicus.

S. D. G.

